HUGO DE SANCTO VICTORE

Frankreich (?), 1. Hälfte 13. Jh. Seite 50r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26084
Copyright: Admont, Benediktinerstift

tale in ipsa corruptionis radice fomitem peccati
portat. Sed vis per se libertatis est peccatum ipsum ad re-
generandum surgere non potest. Sic itaque originale pec-
catum quod in patribus per regenerationem deletum est quantum
ad culpam quia tamen ad penam remanet ad eos qui
generantur transiens non solum ad penam constat, sed etiam im-
putatur ad culpam. donec per ceptum lavacrum re-
generationis in ipsis quoque culpa deleatur et ipsa pena
remaneat. Utrum omnia peccata precedentium
patrum ad filios transeant.

Querit autem utrum omnia peccata
precedentium patrum ad filios transe-
ant. sicut illud primi parentis de-
lictum in omnes qui ex ipso nati sunt redundasse
videatur. Quod si verum est quanto posteriores tanto ini-
qui sunt miserabiliores. Nec ecquidem videtur contradictio. ut
tempus per iudicet mutari. Non forte natura quanto ma-
gis corrumpitur tanto deterior seminatur. Cum enim di-
cat scriptura. Reddam peccata patrum in filios usque in ter-
ciam et quartam generationem. manifeste ostenditur quia
filiis peccata patrum inquirantur. Sed quare usque
in terciam et quartam generationem. et non usque quaque. non facile est
demonstrari. Nisi forte ea que per iusticiam in omni
generatione exequi potuerit. per misericordiam in tercia et quar-
ta generatione terminantur. Ne forte iudicium in-
portabile fieret si cuncta precedentium peccata in
subsequentibus ulcio divina puniret. Quod autem
in alio loco dicitur filius non portabit iniquitatem
patris nec pater portabit iniquitatem filii.
De illa nimirum iniquitate intelligitur quam persona-
liter discreti et essencialiter ab invicem divisi pater
et filius operantur. Ex quo enim filius a patre et pa-
ter a filio alius in persona effectus est sicut utrique pro-

arbitrio operari habet. sic quod aliter facit deinceps alteri
imputari non debet. Quod ergo dictum est Reddam peccata
patrum in filios. de illis peccatis intelligi oportet
que patres commiserunt priusquam de ipsis nascerentur hi
ad quos peccata eorum redundare debuerunt. Quod ergo
usque in terciam et quartam generationem non quia vel prima
rigor iusticie terminatur. Ut per terciam generationem omnis
generatio intelligatur. Vel quod magis probabile videtur eo
usque peccata patrum in filiis puniri dicuntur quo ipsi
filii eorundem patrum peccata videntes imitantur.
Ut intelligamus nunquam filios in peccatis paren-
tum esse participes. nisi prius fuerint peccando effec-
ti imitatores. Ut suo quisque peccato non alieno dampna-
netur. Dum alienum suum facit quod amando et sequen-
do imitatur. Sic enim generaliter dictum convenienter in-
telligitur filius non portabit iniquitatem patris et
pater non portabit iniquitatem filii. ut nunquam pec-
cata aliena noceant. nisi his qui ea peccando i-
mitantur. Cum enim econtrario quod dictum fuerat. patres co-
mederunt uvam acerbam: et dentes filiorum obstupescunt.
Oppositum sit illud. filius non portabit iniquita-
tem patris. id est pena non portabit. id est sed anima que peccaverit ipsa
morietur. necesse est ut sumpta posterius sententia preceden-
tium patrum peccata ad subsequentes filios transire
significatum accipimus. in subsequenti asser-
tione suo quemque peccato teneri. neque precedencia pe-
ccata patrum ad subsequentes filios redundare
intelligamus. Quod si verum esse constat patens est quia
peccata patrum actualia ad filios non transeunt. Sed o-
riginale solum quod ceteris omnibus tanto maius fuit
quanto pre ceteris omnibus naturam ipsam mutare
potuit. Quod quidem in eadem corruptione se-
minatum ad posteritatem pertransit. quia in primo marita

vel etiam quartam